An. et vol. XXXXVI 12 Aprilis 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 129 - Litterae Apostolicae, p. 138 - Epistula, p. 140.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Decretum, p. 142 - *S. C. Consistorialis*: I, II Decreta, p. 143. III Provisio Ecclesiarum, p. 146 - *S. C. de Propaganda Fide*: Decretum, p. 148 - *S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus*: I, II Decreta, p. 149.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 151-160.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1300 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXVI, n. 4 - 12 Aprilis 1954)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE — PAG.

I. GOANAE ET DAMANENSIS - POONENSIS (Belgaumensis). *Summa illa.* - Ex distractis territoriis a Goana et Damanensi Archidioecesi atque a Poonensi Dioecesi, nova constituitur Cathedralis Sedes, « Belgaumensis » appellanda, quae saeculari indico clero committitur. - 19 Septembris 1953. 129

II. S. DOMINICI (S. Iacobi Equitum - Vegensis - S. Ioannis Maguanensis). *Si magna.* - Ex Archidioecesi S. Dominici quaedam territoria distrahuntur ex quibus duae novae dioeceses fiunt: S. Iacobi Equitum et Vegensis appellandae; et una praelatura « nullius dioecesis »: S. Ioannis Maguanensis. Eadem archidioecesis ad dignitatem Metropolitanae Ecclesiae evehitur. - 25 Septembris 1953. 132

III. HISPALENSIS (Huelvensis). *Laetamur vehementer.* - Ab Hispalensi archidioecesi quaedam provincia separatur, quae in novae dioecesis formam redigitur, « Huelvensis » appellandae. - 22 Octobris 1953. 135

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Quae religione.* - Ad titulum et dignitatem basilicae minoris evehitur paroecialis Ecclesia B. Mariae V. a Guadalupe in urbe et Archidioecesi Sanctae Fidei in Argentina. - 23 Iulii 1953 138

II. *Sideribus receptae.* - Ecclesia Cathedralis Covingtonensis titulo basilicae minoris condecoratur. - 8 Decembris 1953 139

EPISTULA

Mariali hoc vertente anno. - Ad Emum P. D. Alfridum Ildefonsum tit. Sanctorum Silvestri et Martini ad Montes S. R. E. Presb. Cardinalem Schuster, Archiepiscopum Mediolanensem, decem lustra ab inito sacerdotio et quina a suscepto cardinalatu atque episcopatu feliciter implentem. - 7 Martii 1954. . . 140

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Decretum. - De disciplina Ieiunii Eucharistici in celebratione instauratae vigiliae paschalis servanda. - 7 Aprilis 1954. 142

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Guayaquilensis.* - Decretum de Capituli Cathedralis innovatione. - 3 Novembris 1953. 143

II. *Magnae Britanniae.* - Decretum de erectione Vicariatus Castrensis. - 21 Novembris 1953. 144

III. Provisio Ecclesiarum 146

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

COSTERMANSPOLITAN. (Bukavuensis). - Decretum. Vicariatus Apostolicus Costermanspolitanus deinceps « Bukavuensis » appellabitur. - 6 Ianuarii 1954. 148

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

I. *Decretum.* - Pontificium Seminarium a « Pio XII » interdioecesanum pro Latio inferiore canonice Albani constituitur. - 8 Decembris 1950 . 149

II. *Decretum.* - Pontificium Seminarium Regionale pro inferioris Etruriae dioecesibus in urbe Senensi canonice constituitur. - 25 Octobris 1953. 150

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 151

An. et vol. XXXXVI 12 Aprilis 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

GOANAE ET DAMANENSIS - POONENSIS (BELGAUMENSIS)

EX DISTRACTIS TERRITORIIS A GOANA ET DAMANENSI ARCHIDIOECESI ATQUE A POONENSI DIOECESI, NOVA CONSTITUITUR CATHEDRALIS SEDES, « BELGAUMENSIS » APPELLANDA, QUAE SAECULARI INDICO CLERO COMMITTITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Summa illa sollicitudo, quam omnium regimen Ecclesiarum beato Paulo Apostolo afferebat, Nos etiam, qui universae Christi Ecclesiae gubernacula Dei voluntate tractamus, cotidie urget ut res catholica, per terrarum orbem alterna vice florescens, aptius in dies a Nobis regatur atque administretur. Quod omni ratione facere nitimur, praesertim cum rerum adiuncta Nos sinunt novas condere dioeceses aliasque novare, e quibus commoda utilitatesque christiano nomini parari videantur. Benigne igitur probamus S. Consilii de Propaganda Fide sententiam quaedam in Indica Unione iungendi territoria, ut ex iis nova posthac constituatur dioecesis. Cum enim e Goana et Damanensi archidioecesi, S. Coetui exstraordinariis Ecclesiae negotiis procurandis subiecta, regio illa distracta fuerit, quae in Indica Unione exstat et civiles districtus *de Belgaum, Nord Canara* (*Karwar*), *Ratnagiri* ac *Sawntwadi* complectitur, atque S. Congregationis Fidei

Propagandae regimini, Sanctae Sedis consulto, commendata, eadem haec Sacra Congregatio partem huius regionis separandam censuit eamque, una cum quibusdam e dioecesi Poonensi territoriis, in novam esse cathedralem Sedem redigendam. Quapropter rata omnia habentes quae idem S. Consilium de Propaganda Fide in hac re esse facienda existimaverit; et eorum pariter consensum supplentes qui in hoc negotio sua interesse arbitrentur, re propterea intentissimo animo considerata ac probe ideo scientes quae decreturi sumus, de Nostra suprema potestate haec quae sequuntur statuimus. A Goanae et Damanensis archidioecesis disiuncta regione, quam supra diximus, duos excerpimus civiles districtus, quibus nomina *Belgaum* et *Nord Canara*. E Poonesi pariter dioecesi eos districtus separamus quos *Bijapur* et *Dharwar* vocant. E quibus territoriis in unum veluti redactis novam erigimus dioecesim, quam ab urbe Belgaum *Belgaumensem* appellari volumus, atque saeculari clero ex iisdem regionibus orto committimus; quae praeterea metropolitanae Bombayensi Ecclesiae suffraganea erit, cuius Metropolitis Belgaumenses pro tempore Antistites recto iure subicientur. Huius vero novae sedem dioecesis urbem ipsam, quam Belgaum vocant, constituimus; Episcopi autem cathedra in eo urbis templo collocabitur, quod merito princeps habetur, quodque propterea ad cathedralis templi honorem perducimus ac dignitatem. Ad Belgaumensem igitur Ecclesiam iura et onera spectabunt quae ad ceteras dioeceses pertinent; eius pariter pro tempore Antistites sive iuribus, potestatibus ac privilegiis decorabuntur sive oneribus officiisque tenebuntur, quae ex iure communi eiusmodi Praesulum dignitatem assectantur. Episcopalis autem mensa, quae dicitur, iis constabit bonis, si quae sint, quae territorio a Goana et Damanensi archidioecesi distracto et Poonensi dioecesi pro rata parte accedebant, vel emolumentis quae Belgaumensis dioecesis Curiae obvenient, vel pecunia a S. Consilio Fidei Propagandae et a christifidelibus offerenda. Quod autem attinet ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad iuvenum institutionem qui in spem Ecclesiae succrescunt, ad fidelium et sacerdotum iura et onera aliaque istiusmodi, eadem servari praecipimus quae Iure Canonico iubentur. Quod vero ad clerum nominatim spectat, decernimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem deductae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius finibus legitime degunt. Ut autem ea quae Nostris hisce Litteris iubemus efficiantur, venerabilem Fratrem Martinum Lucas, Archiepiscopum titulo Adulitanum atque Apostolicum in India Internuntium deligimus, vel eum qui eo tempore, quo haec decreta ad rem adducentur, huic praeerit Internuntiaturae; cui vero contigerit hoc

exsequendum negotium, illi propterea omnes necessarias ad id potestates facimus, cuilibet subdelegandas, si opus fuerit, viro qui ecclesiastica dignitate polleat. Iubemus pariter, ut idem venerabilis Frater hoc confectum negotium in tabulas referat, quarum fide digna exempla ad S. Congregationem Fidei Propagandae quam primum transmittet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat: quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die undevicesimo mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXXXVII, n. 34.

II

S. DOMINICI

(S. IACOBI EQUITUM - VEGENSIS - S. IOANNIS MAGUANENSIS)

EX ARCHIDIOECESI S. DOMINICI QUAEDAM TERRITORIA DISTRAHUNTUR EX QUIBUS DUAE NOVAE DIOECESES FIUNT: S. IACOBI EQUITUM ET VEGENSIS APPELLANDAE; ET UNA PRAELATURA « NULLIUS DIOECESIS »: S. IOANNIS MAGUANENSIS. EADEM ARCHIDIOECESIS AD DIGNITATEM METROPOLITANAE ECCLESIAE EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si magna et excelsa res est erigere templum, quod possint homines petere sive maiestatem Dei veneraturi, sive in huius vitae periculis opem impetraturi, sollemnius quidem et laetius est novarum Ecclesiarum fundamenta iacere easque condere: unaquaeque enim dioecesis, etsi parvo territorio consistat, certae regionis populum sub Episcopi potestatem colligens, tanta dignitate honestatur ut universae Christi Ecclesiae fiat membrum et propago deque eius gratia et fide vivat et alatur. Cum ergo spes sit fore ut religiosis Dominicanae Reipublicae necessitatibus aptius consulatur si ibi aliae dioeceses constituantur, minime cunctandum id facere arbitramur. De consensu igitur venerabilis Fratris Richardi Pittini, Archiepiscopi S. Dominici; deque venerabilis Fratris consilio Francisci Lardone, Archiepiscopi titulo Rhizaeani eiusdemque in Rebuspublicis Haitiana et Dominicana Apostolici Nuntii; post rem intentissimo animo consideratam, ideoque certa scientia eorum quae sumus facturi; aliorumque consensum supplentes qui in negotio aliquid iuris habeant; de suprema Nostra potestate qua universae christianae familiae praesidemus haec quae sequuntur decernimus. Ab archidioecesis S. Dominici territorio eas provincias civiles separamus quibus nomina in vulgus: Monte Cristi, Libertador, Santiago Rodríguez, Puerto Plata, Santiago, Espaillat, Salcedo, La Vega, Duarte, Samaná, Sánchez Ramírez, S. Rafael, Benefactor, Baoruco, Independencia, Barahona, Azua. Quibus civilibus provinciis duas novas dioeceses condimus: S. Iacobi Equitum, videlicet, et Vegensem; ac novam Praelaturam nullius dioecesis cui nomen erit inditum: S. Ioannis Maguanensis. Prima harum dioecesium

quam a S. Iacobo appellandam esse diximus, his provinciis constabit: Monte Cristi, Libertador, Santiago Rodríguez, Puerto Plata, Santiago, Espaillat, Salcedo; eiusque Sedem in urbe Santiago statuimus. Cathedram vero in templo S. Iacobo Maiori dicato exstare censemus; quod tam amplae dignitatis causa titulo cathedralis templi ornari placet. Vegensis dioecesis territorium sequentes provinciae civiles constituent: Le Vega, Duarte, Samaná, Sánchez Ramírez. Episcopalem vero Sedem habebit Episcopus in civitate La Vega, dum cathedram in templo collocabit B. M. V. ab origine omnis peccati expertis, quod ad cathedralis templi honorem perducimus. Quod autem ad Praelaturam nullius S. Ioannis Maguanensis attinet, eam reliquis provinciis quae a S. Dominici archidioecesi detraximus constare patet. Sunt autem: S. Rafael, Benefactor, Baoruco, Independencia, Barahona, Azua. Huius autem Praelaturae nullius sedem Antistitisque domicilium in urbe statuimus quae per vulgus S. Juan cognominatur, templo S. Ioannis Baptistae praelatitia dignitate condecorato. Distractis autem territoriis quae memoravimus a S. Dominici archidioecesi, haec sequentes provincias suis finibus continebit: Trujillo Valdez, Trujillo, Distrito de Santo Domingo, S. Pedro de Macorís, El Seibo, La Altagracia. Quam Sedem, cum sit et antiquitate clara et aliarum modo conditarum Ecclesiarum quasi parens et mater, placet ad metropolitanae archidioecesis dignitatem erigi, cuique esse alias, quas diximus, sive dioeceses sive Praelaturam nullius subiectas et suffraganeas. Erunt praeterea, uti patet, harum quoque Sedium Praesules Archiepiscopo S. Dominici, tamquam suo Metropolitae, obnoxii et subiecti. Tum huius metropolitanae Ecclesiae, tum duarum dioecesium, tum Praelaturae nullius, tum denique eorum Praesulum iura, honores, potestates, onera, obligationes eadem erunt ac ceterarum archidioecesium, dioecesium, praelaturarum nullius atque earum sacrorum Antistitum. Poterit igitur Archiepiscopus Metropolita S. Dominici non solum Crucem ante se ferre in omni sua Provincia ecclesiastica, sed etiam pallio uti, postquam tamen in sacro Consistorio pallium expostulatum et obtentum fuerit. Ut autem omnibus quas memoravimus Ecclesiis nihil desit honoris, simulque habeant Episcopi senatum in maioribus negotiis consulendum, in unaquaque harum Ecclesiarum Canonicorum Collegium constituatur; quoad vero hic amplus Sacerdotum coetus institui nequeat, praecipimus ut saltem Consultores dioecesani, qui dicuntur, eligantur, quorum consiliis et opera frui liceat Episcopo. Mensam Episcopalem, quam dicunt, constituent ea bona quae ex archidioecesis S. Dominici divisione unicuique circumscriptioni ecclesiasticae provenient,

Curiarum emolumenta, a christifidelibus oblatae stipes, pecunia denique a Reipublicae Moderatoribus danda. Quod autem attinet ad divisionem bonorum inter archidioecesim S. Dominici et reliquas Ecclesias, servetur omnino quod canone 1500 Iuris Canonici praecipitur. Ea omnia autem quae ad regimen, administrationem conditarum nuper circumscriptionum ecclesiasticarum, simulque ad Vicarii Capitularis seu Administratoris Apostolici electionem aliave id generis, praescripta Iuris Canonici rite serventur. Simul ac erectio dioecesium et praelaturae nullius ad effectum deducta fuerit, Sacerdotes illi Ecclesiae censeantur adscripti in cuius territorio legitime degunt; clerici vero, qui in Seminario Dominicanae civitatis aluntur sacerdotalia munera adepturi, illi Ecclesiae in cuius territorio canonicum habeant domicilium. Inter curas venerabilium Fratrum Episcoporum quibus novae circumscriptiones Ecclesiasticae regendae ac gubernandae contigerint, magni facienda erit erectio Seminarii saltem elementarii, unde suo tempore electi iuvenes ad Seminarium maius S. Dominici mittantur, iuxta normas a Sacra Congregatione de Seminariis et Universitatibus Studiorum editas. Documenta et acta quae quovis modo ad novas dioeceses et praelaturam S. Ioannis Maguanensis respiciunt, itemque ad clericos, fideles, bona temporalia et cetera huiusmodi, haec omnia a Curia S. Dominici ad Curias novarum Ecclesiarum quam citius mittantur, in tabulario asservanda. Quae his Litteris Nostris decrevimus exsequenda is curabit qui eo tempore quo haec decreta ad exitum adducentur Nuntiaturae praeerit Reipublicae Dominicae, cui omnes potestates agendae rei concedimus, etiam cuilibet viro, si opus fuerit, subdelegandas, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Cui autem contigerit negotium conficiendum, huic mandatum damus acta exarandi eorumque fide digna exempla quam primum ad Sacram Congregationem Consistorialem transmittendi. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis quavis auctoritate sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum siquis vel

spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulfi prope Romam, die vicesimo quinto mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

✠ Fr. ADEODATUS I. Card. PIAZZA
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVII, n. 9½.

III

HISPALENSIS
(HUELVENSIS)

AB HISPALENSI ARCHIDIOECESI QUAEDAM PROVINCIA SEPARATUR, QUAE IN NOVAE DIOECESIS FORMAM REDIGITUR, « HUELVENSIS » APPELLANDAE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Laetamur vehementer Hispalensis Ecclesiae gloriam magnumque nomen considerantes, quae latis uberibusque dives terris splendidaeque honestata antiquitatis memoriis admodum in sanctitate atque in virtute iamdiu profecit ac praeclaris nunc meritis refulget, ceu stella per noctes gemmeo fulgore renidens. Quae, munificentissimi Dei gratia favente, ob providas sui Archiepiscopi curas tam multiplicibus fervet operibus filiosque tam multos nutrit ac fovet, ut vix singulus Praesul, etiamsi et animo et opibus in Dei gloriam tuendam studiosissime incumbens, suae archidioecesis necessitatibus par omnino esse queat. Nobis propterea, qui summo Dei numine omnium saluti quaerendae prospicimus, in animo est ab ea partem auferre, ut eiusdem Pastoris operae laboresque leventur, ac novam exinde dioecesim creare quae recens quasi germen laetissimo crescat auspicio. Re propterea qua par erat diligentia considerata; audita sententia dilecti Filii Nostri Petri S. R. E. Cardinalis Segura et Saenz, Archiepiscopi Hispalensis; explorato pariter consilio dilecti Filii Nostri Caietani S. R. E. Cardinalis Cicognani, in Hispanica Na-

tione Pro Nuntii Apostolici; consensu praeterea eorum omnium suppleto, qui in hac re aliquid iuris se arbitrentur habere; certa ideo scientia eorum quae decreturi sumus, de plenitudine supremae Nostrae potestatis haec quae subsequuntur statuimus. Ab Hispalensi archidioecesi totam regionem separamus quae civilem provinciam complectitur, cui nomen apud populum Huelva quaeque artibus operibusque praecellet ac populo ditatur frequentissimo. Eam ergo in novae dioecesis formam redigimus, *Huelvensis* posthac appellandae, cuius territorium iisdem circumscribetur finibus ac civilis provincia, quam supra diximus, scilicet: ad septemtrionem, Pacensis Ecclesiae limitibus; sub oriente, Hispalensis Sedis finibus; a meridianis oris, Oceano mari; sub occidente denique, communi limite Hispaniae ac Lusitaniae. Nova Huelvensis dioecesis erit, uti suffraganea, metropolitanae Sedis Hispalensis iuri obnoxia, cuius propterea Metropolitis Archiepiscopis Huelvenses Praesules subicientur. Qui Episcopi sedem ac domicilium in urbe habebunt, quam Huelva populus appellat, quamque Nostris hisce Litteris in civitatis episcopalis gradum perducimus; cathedram vero in templo collocabunt B. Virgini Mariae sacro, cui igitur, ad cathedralis aedis dignitatem elato, omnia pariter tribuimus iura ac privilegia quae ceterarum cathedralium aedium sunt propria. Quae praeterea Huelvensis dioecesis eiusque Praesules iisdem iuribus honoribusque fruentur, quibus omnes ornantur per terrarum orbem dioeceses earumque Praesules; item iisdem oneribus et obligationibus obstringentur. Cum vero decor atque dignitas sacrorum rituum maxime Nobis sint cordi, volumus ut quam primum Huelvensis Episcopus Canonicorum Collegium instituendum curet, cui erigendo cavebimus per Apostolicas sub plumbo Litteras a Nobis dandas; quoadusque vero dioecesis Canonicorum senatu carebit, indulgemus ut eorum loco dioecesani Consultores ad iuris normam eligantur, qui Episcopum et consilio et prudentia fideliter iuvent. Praecipimus quoque ut quam primum pueris ad sacerdotalia munia vocatis studiosissime excolendis seminarium saltem elementarium constituatur, ad iuris normam et iuxta leges a S. Consilio Seminariis studiorumque Universitatibus praeposito traditas. Episcopalis praeterea mensa sive bonis constabit quae e partitione bonorum Hispalensis mensae, pro rata parte, novae huic obvenient dioecesi, sive curiae, emolumentis, si qua sint; sive oblatis a fidelibus pecuniis; quae vero bona ita dividentur ut iussa canone 1500 Iuris Canonici descripta fideliter serventur. Quod pariter attinet ad novae Ecclesiae regimen et administrationem, ad Capitularis Vicarii seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad fidelium et sacerdotum iura et onera

aliaque huiusmodi, ea praecipimus quae Iure Canonico statuuntur. Quod vero ad clerum novae assignandum dioecesi spectat, Archiepiscopus Hispalensis et Huelvensis Antistes pacto inter se convenient. Volumus denique ut omnia documenta atque acta, quae ad nuper constitutam Ecclesiam spectant, ab Hispalensi curia quam cito mittantur ad Huelvensis curiae tabularium. Ut autem ea quae Nostris hisce Litteris iubemus efficiantur, eundem dilectum Filium Nostrum Caietanum S. R. E. Cardinalem Cicognani deligimus, vel eum qui eo tempore quo haec decreta ad rem adducentur, Apostolicae in Hispania Nuntiaturae praeerit; cui vero contigerit hoc exsequendum negotium, illi necessarias ad id potestates facimus, cuilibet subdelegandas, si opus fuerit, viro, qui ecclesiastica dignitate polleat, onusque iniungimus hoc confectum negotium in acta referendi, quorum fide digna exempla ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides quae hisce haberetur si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum ex Arce Gandulfi, prope Romam, die secundo et vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ CLEMENS Card. MICARA
Sacri Collegii Subdecanus

✠ Fr. ADEODATUS I. Card. PIAZZA
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap.. vol. LXXXVII, n. 60.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

AD TITULUM ET DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR PAROECIALIS ECCLESIA B. MARIAE V. A GUADALUPE IN URBE ET ARCHIDIOECESI SANCTAE FIDEI IN ARGENTINA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae religione, cultu populique frequentia magnopere commendantur, Templis Apostolica haec Sedes decus addere solet et honorem, quo Christifidelium pietatem impensius exacuat et amplificet. In his numerum obtinere accepimus paroecialem Ecclesiam Beatae Mariae Virginis a Guadalupe, quae fertur praeclarum opus urbis et archidioecesis Sanctae Fidei apud Argentinos. Iamvero priscis temporibus plebs christiana eo ad sacellum Almae Deiparae cuiusvis labis ab origine expertis, religionis causa, accesserat, cui Aedi, saeculo duodevicesimo medio, ampla adiuncta fuit accessio atque Beatae Mariae Virginis a Guadalupe appellatio imposita. Exinde marialis haec pietas maioribus est aucta incrementis, adeo ut Dei Genetrix, nomine illo invocata, totius archidioecesis Sanctae Fidei in Argentina Caelestis renuntiaretur Patrona. Iuvat quoque memorare non procul ab hoc religionis domicilio constitutas esse aedes adulescenti clero ad sacra informando. Templum praeterea, eo structurae genere, quod gothicum vocant, insigne, propter amplitudinem et ornamentorum varietatem meritis celebratur praeconiis. Quibus permotus, Nicolaus Fasolino, Archiepiscopus Sanctae Fidei in Argentina, vota quoque depromens religionis administrorum et Christifidelium, Nos rogavit ut Templum, quod diximus, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Nos autem, qui omni ope annitimur ut sinceram erga Almam Deiparam pietatem quoquoversus propagemus, votis huiusmodi libenti animo statuimus obsecundare. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, paroecialem Ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Guadalupe consecratam, et in urbe et in archidioecesi Sanctae Fidei in Argentina sitam, titulo ac dignitate Basilicae Minoris afficimus et decoramus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae Templis, eodem honore insignibus, rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statui-

mus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse atque definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Iulii, anno MCMLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

II

ECCLESIA CATHEDRALIS COVINGTONENSIS TITULO BASILICAE MINORIS CONDECORATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Sideribus receptae Deiparae Virgini sacrum, Templum princeps dioecesis Covingtonensis, intra Foederatarum Americae Civitatum fines, in praeclarioribus, ut accepimus, eiusdem regionis numeratur operibus. Non enim solum eius molem mireris, sed etiam structurae genus, quod artem gothicam, quae dicitur, saeculi XIII propriam, exprimit imitatione. Excoluerunt autem hanc Aedem, superiore vergente saeculo conditam, sculptores pictoresque, quos tum temporis inter Americae artifices magnum existimabant habere nomen. Praeterea in eodem religionis domicilio nihil videtur desiderandum quod ad ritus divinos attinet. Revoluto igitur centum annorum spatio a constituta dioecesi Covingtonensi, Venerabilis Frater Gulielmus T. Mulloy, eiusdem Sedis Antistes, Nos rogavit ut Templum illud princeps, quod die XIII mensis Decembris, hoc anno, dedicabitur, nomine ac iure Basilicae Minoris donaremus. Nos autem, qui sacras Aedes dignitate augentes, Christifideles ad pietatem et sanctimoniam exacuere volumus, precibus huiusmodi libenti animo statuimus obsecundare. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem Covingtonensem ad

honorem Basilicae Minoris evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae Templis itidem insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Decembris, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

EPISTULA

AD EMUM P. D. ALFRIDUM ILDEFONSUM TIT. SANCTORUM SILVESTRI ET MARTINI AD MONTES S. R. E. PRESB. CARDINALEM SCHUSTER, ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, DECEM LUSTRA AB INITO SACERDOTIO ET QUINA A SUSCEPTO CARDINALATU ATQUE EPISCOPATU FELICITER IMPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Mariali hoc vertente anno, ut perlibenter nuper cognovimus, ipse decem ab inito sacerdotio lustra et quinque a suscepto cardinalatu atque episcopatu, divina favente gratia, feliciter celebrabis. Quae profecto laetabilia tibi tuisque sollemnia Nos secundis plane faustisque ominibus adaugere atque cumulare exoptamus. Quum enim proximo festo die, Sancto Iosepho Sponso Beatae Mariae Virginis dicato, in magnificentissimo cathedrali templo Mediolanensi inter sacros ritus divinam hostiam immolabis, carissimi pueri tui « sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae », reverenter exstabunt, Deo tecum gratias agentes, quod diuturnum frugiferumque sacerdotale atque episcopale munus benigne tibi concessit. Tu equidem, inclito Sancti Benedicti Ordini mature adscriptus, et pietatis ardore et operum industria tam longam aetatem nobilitasti. Primo in alma hac Urbe gravia quoque officia sedulo obiisti, praesertim Magistri novitiorum, Prioris et Abbatis officia in monasterio

Sancti Pauli extra moenia sustinendo, et Casinensis Congregationis Procuratorem Generalem agendo. Interea peritia atque opera tua utebatur Apostolica ipsa Sedes, a qua nominatus es Consultor Congregationis Sacrorum Rituum, Praeses Pontificii Instituti Orientalis et Seminariorum clericorum Apostolicus Visitator. Neque minore cura privatim incumbebas in studia liturgiae sacraeque archeologiae rerumque historiae, quarum investigationum atque indefessi laboris praeclara edidisti monumenta. Tantam itaque sollertiam tamque egregias virtutes tuas intuens, Decessor Noster ven. mem. Pius XI, quinque et viginti abhinc annos, te Ecclesiae Ambrosianae praeficere et Sacro Cardinalium Collegio adnumerare decrevit. De pastorali autem sollicitudine, qua istic hoc temporis spatio enituisti, inter ceteras laudes visitatio archidioecesis quinquies diligenter peracta, tot ecclesiae aedificatae in novis praecipue urbis regionibus, salutaria cleri incrementa per ecclesiasticarum vocationum opus, per adsiduam Seminariorum curam perque Institutum abs te conditum, cui titulus « Maria Immaculata », aptius promota, frequens Verbi Dei praedicatio, venerandae antiquitatis flagrans studium, Ambrosianae liturgiae cantusque Ambrosiani decor atque cultus, ipsumque Institutum musicae sacrae, quod erexisti, Actio laicorum Catholica et innumera caritatis opera, quae iugiter fecisti vel fovisti, clara voce loquuntur. Huiusce sane tuae caritatis amplitudo maxime emicuit belli tempore et post belli ruinas, quum afflictis tot calamitatibus civibus, in primisque familiari nidulo carentibus alacriter subvenisti. Tibi igitur, Dilecte Fili Noster, de sacro ac pastorali ministerio tam diu actuoseque gesto etiam atque etiam gratulamur, instantique prece Deum exoramus, ut te seros in annos incolumem tueri et uberibus fructibus ditare usque velit. Quo interea tum sacerdotii tum episcopatus commemoratio in maiorem cedat animarum profectum, tibi ultro potestatem damus, ut, utraque sollemni die constituta, sacris operatus, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Caelestium denique donorum conciliatrix et nuntia, peculiarisque Nostrae benevolentiae testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, egregio tuo Auxiliari Episcopo, universoque clero et fidelibus vigilantiae tuae concreditis, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VII mensis Martii, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

DE DISCIPLINA IEIUNII EUCHARISTICI IN CELEBRATIONE INSTAURATAE VIGILIAE PASCHALIS SERVANDA.

Cum Sacra Rituum Congregatio, decreto diei 11 Ianuarii 1952 (*A. A. S.*, vol. XXXXIV, 1952, p. 48 sq.) facultatem celebrandi instauratam vigiliam paschalem, decreto diei 9 Februarii 1951 concessam (*A. A. S.*, vol. XXXXIII, 1951, pp. 128-129), ad triennium prorogaverit et nonnullas « Ordinationes » etiam de ieiunio eucharistico addiderit (V, 18), quaesitum fuit ab aliquibus locorum Ordinariis utrum supradictae « Ordinationes » in suo robore permaneant etiam post promulgationem Constitutionis Apostolicae « Christus Dominus », diei 6 Ianuarii 1953, et Instructionis S. Officii eiusdem diei, de disciplina circa ieiunium eucharisticum servanda (*A. A. S.*, vol. XXXXV, 1953, pp. 15 et sq.; pp. 47 et sq.).

Emi ac Revmi Patres Supremae huius S. Congregationis S. Officii, collatis consiliis cum S. Rituum Congregatione, in Plenario Coetu feriae IV, diei 7 Aprilis 1954, quae sequuntur decreverunt:

1. Sacerdotes Missam vigiliae paschalis media nocte celebraturi, itemque fideles in ea communicaturi, ieiunium servare tenentur ad normam can. 808 et can. 858 § 1;

2. Si Missa vigiliae, in casu quodam peculiari, iuxta n. II, 4 « Ordinationum » S. Rituum Congregationis, ante mediam noctem celebretur, normae Constitutionis « Christus Dominus » et Instructionis S. Officii erunt servandae.

Ssmus autem D. N. D. Pius, divina Providentia Pp. XII, hac ipsa die 7 Aprilis 1954 hoc Emorum Patrum decretum approbavit atque promulgari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 7 Aprilis 1954.

Marius Crovini, *Supr. S. Congr. S. Off. Notarius*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

GUAYAQUILENSIS

DECRETUM

DE CAPITULI CATHEDRALIS INNOVATIONE

Cum Exc. P. D. Iosephus Felix Heredia, Episcopus Guayaquilensis, ab Apostolica Sede enixe postulavisset ut vetustum Capitulum Cathedrale Guayaquilense, quibusdam adductis variationibus, nova ratione constitueretur, Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito favorabili voto Exc. P. D. Ephraem Forni, Archiepiscopi tit. Darnitani et in Republica Aequatoriana Nuntii Apostolici, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio Divina Providentia Pp. XII tributarum, rata huiusmodi innovationem cultui Deo in Ecclesia exhibendo collaturam, precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, statuit ut exinde Guayaquilense Capitulum constet duodecim capitularibus, tribus, videlicet, Dignitatibus: decano, archidiacono et thesaurario, quatuor officiis: theologo, poenitentiario, doctorali et canonico-curato, atque quinque canonicatibus simplicibus.

Canonicus curatus, attentis emolumentis paroecialibus ad se spectantibus, dimidiam partem reddituum canonicatus quo potitur percipiet.

Quousque congrua canonicalis praebenda constituta non fuerit, divina officia in choro a capitularibus persolvenda erunt sequentibus diebus: 1) dominicis et festis de praecepto: 2) triduo ultimo Maioris hebdomadae; 3) festo dedicationis Ecclesiae Cathedralis; 4) festo Patroni principalis civitatis Guayaquilii.

In reliquis vero quae sacri canones de Capitulis Cathedralibus atque Capitulares Constitutiones statuunt adamussim serventur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda eadem Sacra Congregatio deputat memoratum in Republica Aequatoriana Nuntium Apostolicum, tribuens ei necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate con-

stitutum, onere imposito ad S. C. Consistorialem quam primum transmittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 3 Novembris 1953.

✠ Fr. A. I. Card. PIAZZA, Ep. Sabin. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

E. Civardi, *Substitutus*

II

MAGNAE BRITANNIAE

DECRETUM

DE ERECTIONE VICARIATUS CASTRENSIS

Inexhausta caritate urgetur Apostolica Sedes ad ea excitanda atque hominibus sollerti cura praestanda, quae novis in adiunctis opportuna animarum saluti allatura sint adiumenta.

Cum autem ab Exc. P. D. Gulielmo Godfrey, in Magna Britannia Delegato Apostolico et Archiepiscopo Liverpolitano, expostulatum fuisset, ut ad spiritualem curam copiarum eiusdem Magnae Britanniae pressius firmeque ordinandam Vicariatus Castrensis erigeretur, Ssmus Dominus Noster Pius, Divina Providentia Pp. XII, de consilio infrascripti Cardinalis S. C. Consistorialis Secretarii, ratus huiusmodi institutionem spirituali fidelium commodo valde profuturam, preces excipiendas benigne censuit.

1. De plenitudine igitur Apostolicae potestatis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, praesenti Consistoriali Decreto Castrensem Magnae Britanniae Vicariatum constituit.

2. Hac ratione erectus Vicariatus Castrensis constabit: Vicario Castrensi, tribus Cappellanis Maioribus seu Directoribus pro copiis respective terrestribus, maritimis et aëreis, atque Cappellanis minoribus, quï simpliciter Cappellani militum vocabuntur.

3. Sedes Vicariatus Castrensis eiusque Curiae Londinii constituetur.

4. Vicarius Castrensis ab Apostolica Sede peculiari Consistoriali Decreto eligitur ac nominatur et dignitate episcopali augetur.

5. Vicario Castrensi competit iurisdictio ordinaria, personalis, tum fori interni tum fori externi, at specialis, cumulativa nempe cum iurisdictione Ordinariorum locorum, ad normam Instructionis « De Vicariis Castrensibus » a S. C. Consistoriali die 23 Aprilis 1951 editae.

